



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. Quæ alienationes rerum Ecclesiasticarum sint prohibitæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

relictam; vel jus, quod potest habere Domus professa societatis Jesu ad aliquam domum, vel fundum sibi datum; quia, cum ipsa non sit capax obtinendi bona immobilia, ex intentione donantis, & accipientis, sortiuntur naturam rerum mobilium: quo sensu inter mobilia etiam numerantur agri, fundi, & similia, quae dantur loco pecuniae alias debita.

1153 Secundò, si monasterio debeatur magna summa, & debitor, qui non est solvendo, loco pecuniae det unam arcam, hæc computabitur inter res mobiles, & sine ullis solennitatibus poterit abalienari; modò tamen non applicetur à Præfato rebus Ecclesiae, vel mensa. Item inter res mobiles numerantur domus, & similia, quae dantur Ecclesiae ad determinatum usum v. g. ad aedificium aliquod faciendum, vel ut dividantur, & emanent alia commoiores.

Dubitari potest 2. an inter pretiosa numerentur reliquiae Sanctorum? Res affirmativè, si insignes sint alicujus Sancti valde noti, qui apud omnes sit in magna veneratione. Nam licet reliquiae Sanctorum pretio aestimari non possint, nec pretio æquantur, sunt tamen supra omne pretium. Bonacin. de Contract. feud. D. 3. q. 8. n. 17.

1154 Dubitari potest 3. an legatum pretiosum, Ecclesiae factum, & acceptatum, veniat inter prohibita alienari? Res affirmativè ex n. 1148. quia sic est res Ecclesiastica pretiosa, quae servando servari possit, ut suppono, si Ecclesia, vel Monasterium capax sit retinere. Dixi, & acceptatum. Nam ante acceptationem putant aliqui, posse tale legatum recusari sine violatione canonum prohibentium liberam alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosorum; ita Sanch. lib. 7. matr. D. 4. n. 12. & L. 2. summa. c. 6. n. 4. Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q. 12. Nam ante acceptationem Ecclesia nondum habet jus *quasi*sum, sed *quærendum*; 2. quia non acceptando non fit alienatio, sed tantum non *acquisitio* juris in re; jus autem ad rem non est absolutum, sed pendens à conditione voluntatis nostrae. Hinc etsi hereditas delata, sed repulsa, transeat ad heredes; non tamen transit

repulsa, sed *successione*; ubi abest impedimentum legati alteri facti, & acceptati: ergo non intervenit eo casu alienatio. Et ideo, quando dicitur legata Ecclesiae, facta favore Ecclesiae, ipso jure transire in Ecclesiam etiam absque traditione per L. *fn. C. de ff. Ecclesiis*, intelligitur, transire non *absolute*, sed *sub conditione*, & revocabiliter. Quando autem dicitur, quod pupillus fundum sibi legatum, sine Prætoris auctoritate non possit (per L. *magis puto, ff. de rebus eorum*) repudiare, contingit, quia pupillo etiam lucris amissis prohibita est, quod non reperitur de Prælati Ecclesiae ordinatum.

Dubitari potest 4. an res alienari, vel non acceptari possit in casu legati rei immobilis, facti monasterio, vel domui religiosa, incapaci bonorum immobilium? Respondeo posse tunc alienari. Nam prohibitio alienationis est solum de bonis Ecclesiae, vel loco pio *incorporatis*, & mens testatoris fuit, ut legato uteretur eo modo, quo potest; cum præsumatur voluisse legatum firmum, eo modo, quo esse potest. Ita Riccius in praxi fori Eccles. decis. 56. Barbof. p. 3. de potest. Episcopi, allegat. 95. n. 39. Ex hoc autem à fortiori sequitur, idem fieri posse in casu, quo res mobilis pretiosa legata est loco pio talium bonorum incapaci; Cum alienatio rei mobilis pretiosa solum prohibeatur, in quantum aequivalet immobilibus c. *nulli*, h. r. & Barbof. ibid. n. 2. quae absolute alienari prohibentur; at in dato casu non prohibentur alienari immobilia, ergo nec mobilia pretiosa.

§. 2.

Quae alienationes rerum Ecclesiasticarum sint prohibita?

Supponendum, alienationem dupliciter sumi. 1. Strictè, quo casu supponit pro actu, quo rei alicujus dominium directum transfertur in alterum, uti fit donatione; venditione; permutatione. L. *alienum* 61. ff. de V. S. 2. late, quo casu supponit pro omni actu, per quem dominium, etiam tantum utile, vel quodcumque jus in re, etiam imperfectum, alteri in re aliqua constituitur; his præmissis.

Qua-

1157 *Questio est, quæ alienatio iure cano- nico prohibita sit? Resp. quod non tantum alienatio strictè, sed etiam late sumpta. Ad hoc probandum not. 1. Paulum II. in Extravag. Ambitiosa h. t. inter communes, ita loqui: Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneq; pactum (per quod ipsorum dominium transfertur,) concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, seu contractum emphyteuticum (præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, & bonis, in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc ecclesiarum evidenti utilitate; ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia) hac perpetuò valitur à constitutione præsentis, fieri prohibemus: Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis, super hoc editis, (quæ tenore præsentium innovamus) in suo nihilominus robore permanentis.*

1158 *Huic Extravaganti addenda est Bulla Urbani VIII. edita anno 1624. sept. Septembr. ibi: De speciali S. D. N. jussu, Generalibus, & Provincialibus, Capitulis, & Congregationibus, Abbatibus, & quibuscunque aliis superioribus, cujuscunque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac preciosorum mobilium alienationem, omneq; pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, concessionem in feudum, seu Emphyteusim, (præterquam in casibus, à jure expressis) fieri perpetuò prohibet, atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilii licentia, inscriptis, & gratis, concedenda, sub pœna amissionis omnium bonorum.*

1159 *Ex his juribus apertè deducitur rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, extra casus à jure permissos, prohibitam esse alienationem, non modo strictè, sed etiam late sumptam, juxta n. 1156. idque propter favorem Ecclesiæ, ne scilicet per ejusmodi rerum alienationes in bonis suis damnum subeat facilitate Prælatorum, qui bonorum Ecclesiasticorum non sunt Domini, sed tantum dispensatores, seu administratores c. 2. de donat: & potius Tutorum, ac Curato-*

rum instar, qui res minorum curant, quorum jure gaudet Ecclesia. c. 1. De in integrum restit. ex illis enim habetur, non tantum prohiberi venditiones, donationes &c. quæ sunt alienationes strictè, sed etiam concessionem juris tantum imperfecti, ut sunt locatio, feudum, emphyteusis &c. Constitutioni porro isti subditur: Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, concessionem quascunq; contra hujusmodi prohibitionem faciendas, sanctitas sua ipso jure nullas, atque irritas decernit.

1160 *Est tamen discrimen aliquod inter Extravagantem Ambitiosæ; & Constitutionem Urbani; ut autem discrimen hoc rectè intelligatur, notanda sunt ejus verba. Primò ergo, in dicta Extravag. statuitur, si quis contra hujusmodi prohibitionis seriem, de bonis, & rebus ejusdem, quicquam alienare præsumperit alienatio hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris, vel momenti; & tam, qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.*

1161 *Alienanti verò bona, Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Rom. Pont. aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus; & si per sex menses immediatè sequentes, sub interdicto hujusmodi, animo (quod absit) perseveravit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii, cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus, sit eo ipso suspensus.*

1162 *Secundo inferiores Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt duntaxat, ipso jure privati existant, illaque absque declaratione aliquâ vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis ido-*

idoneis, (illis exceptis, quæ propterea privata fuerint) liberè de jure conferri: nisi alias dispositioni Apostolicæ sedis, sint specialiter, aut generaliter reservata: Nihilominus alienatæ res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur. His prænotatis:

1163 Primum discrimen est, quod Extravagans dirigitur etiam ad Prælatos seculares; Urbani vero, ad solos Regulares, & Religiosorum Capitula. 2. Quod in Extravag. Abbates non privabantur ipso facto beneficiis, quæ alienabant; in altera vero priventur omnibus officiis, quæ tempore alienationis obtinent, & redduntur inhabiles, ad ea in posterum obtinenda: in Extravagante vero privantur solum illis beneficiis, quorum bona alienant. 3. Urbanus clarè definit tales alienationes esse irritas, quod antecederet erat controversum inter Auctores, afferentibus aliquibus, illas esse validas, sed illicitas, aliis vero esse illicitas, & invalidas.

1164 Si autem quæras, quid intelligatur per illa verba, *præterquam in casibus à jure permissis?* Censent aliqui dicta prohibitionem solum excipi alienationem, quæ sit dando in feudum, vel emphyteusim Ecclesiæ bona, quæ taliter ab antiquo concedi solebant; sed rectius dicitur, hæc verba exceptiva cadere in omnes alios modos alienandi, de quibus ante sermo erat, consequenter si sint aliqui casus, aut modi alienandi, res Ecclesiasticas, quæ jure permissæ sunt, omnes illos ab illa generali prohibitionem exceptos esse; & illos exercendo non peccari, nec incurri pœnas in earum constitutionum transgressores latas. Ratio est, quia dicta exceptio subiungitur generali prohibitioni, quoad omnes modos alienationis, tam strictè, quam latè sumptæ; & in Extravag. primo post exceptionem generalem, *de casibus jure permissis*, additur: *ac de rebus, & bonis in emphyteusim &c.* ergo comprehendit generaliter casus jure permissos, & concessionem in feudum, vel emphyteusim. Qui porro casus jure permissi sunt, constabit ex dicendis in seqq.

1165 Ex dictis colliges, cui prohibitum est rem aliquam Ecclesiasticam alienare, ei prohibitam quoque esse ejus venditio-

Tom. III.

nem, donationem, permutationem. Nam hi actus sunt alienatio strictè; item dare in solutum, cum hoc emptioni, & venditioni æquiparetur; transigere, transactione in alium transferente dominium, vel possessionem; imponere servitutem; sic Barbof. in c. Nulli. à n. 11. five realem, five personalem; Pirhing h. t. n. 10. ubi tamen nota, *ante rei iraditionem non dici factam alienationem*; Barbofa in c. *si quis Presbyterorum* 6. h. t. n. 3. ex L. *alienatum*. 37. ff. de V. S.

Collig. 2. idem procedere de feudo, 1166 ut expressè dicitur in cit. constit. Urbani VIII. & emphyteusi perpetua, & usufructu; sic enim in Emphyteutam, & usufructuarium transit dominium, seu jus utile; excipe emphyteusim etiam perpetuam *rei incultæ* parum utilis Ecclesiæ, c. *ad aures* 7. h. t. an autem sit, vel non sit utilis? consideratur pro tempore contractus; non autem, quid postea contingat, nisi tempore calamitoso contractus celebreretur. Barbofa in c. 1. h. t. n. 3. qui notat, non dici alienationem *rei utilis* Ecclesiæ, ubi Ecclesia tantum solum recipit, quantum dimisit. Et ideo Rector Ecclesiæ potest illius servos manumittere, si horum loco reddatur, quod duplo plus valet, quam manumissi, per c. *Consensus* 3. h. t. A dictis porro prohibitionibus etiam excipiuntur, quæ de mobilibus Ecclesiæ rebus in remunerationem obsequii Ecclesiæ præstiti dantur, ut notatur ex Conc. Tolerano relato 12. q. 2. c. *Quicumq;* 66.

Præter hæc quæres 1. quid hoc loco 1167 veniat nomine *Ecclesiæ*? cum enim dicitur bona *Ecclesiæ* quæ scilicet spectant ad ipsam Ecclesiam, sic, ut Prælatus, vel Rector Ecclesiæ non sit Dominus eorum, aut fructuum inde nascentium, sed tantum administrator, non posse alienari, nisi servatâ formâ in sacris canonibus præscripta, quæstio est, quid hoc loco veniat nomine *Ecclesiæ*? R. cum simus in materia favorabili, *Ecclesiam* hic æquè, ac *alienationem* esse accipiendam latissimè, pro quolibet loco sacro. Quare R. *Ecclesiæ* nomine hic intelligi omnem locum pium, ut Confraternitates, hospitalia, & similia, autoritate Episcopi fundata. Quaranta in summa Bullarii. V. *alienatio rerum Ecclesiæ* n. 28. & communis.

Mm

Quæ-

1168

Quæres 2. an nomine alienationis prohibita veniat locatio? R. quod sic. 1. ex utraque Constit. Pauli II. & Urbani VIII. Deinde ex c. ad audientiam. 9. h. t. ubi Coelestinus III. ad Exonensem Episcopum, ad audientiam, inquit, nostram noveritis pervenisse, quod quidam de Canonicis Exonens. Ecclesie quædam prædia ejusdem (inconsultis aliis fratribus) in damnum ejus in perpetuum locaverunt. Ideoque mandamus, quatenus (si verum est, quod asseritur) locationes illas legitime revocare, procuret ita, quod si eadem prædia non aliter revocari poterunt, eos, quos noveris harum locationum auctores, ad susceptam inde pecuniam conductoribus refundendam, appellatione remota, compellas.

1169

Idem habetur expressè in Clem. Monasteriorum 1. eod. ibi: Monasteriorum, & aliarum administrationum regularium dispendiis occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto, ne quis Religiosus, Monasterio, Prioratu, Ecclesie, seu administrationi, cujus præsidens jura, redditus, aut possessiones ejusdem alicui ad vitam ejus, seu aliud certum tempus, pecuniâ etiam inde acceptâ, quovis modo concedat, nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesie, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat, Conventus sui; aut, si conventum non habeat, Prælati proprii assensu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit, poenam suspensionis ab officio, eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti jus aliquod acquiratur. Verùm præmissa ad locationes, vel etiam reddituum, aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas, declaramus ulla tenus non extendi.

1170

Hanc porro locationem prohibitam esse jure antiquo, non tantum si facta sit in perpetuum, sed etiam si ad longum tempus, communiter tradunt Doctores, ad cit. c. 9. h. t. & Clem. proxime relatum; intelligitur decennium per longum tempus, ut notat Castropal. tom. 2. de reverentia debita rebus Ecclesiasticis. D. unic. p. 14. n. 1. quia septennium pro modico tempore sumitur, c. fin. ne Prælati vices suas, & Clem. 1. h. t. & ex hoc infert, locationem rerum Ecclesiasticarum factam ad vitam locantis, vel conducentis, absolute invalidam esse; quia

naturâ suâ longi temporis durationi subijcitur; per cit. Clem. 1. junct. gl.

Dixi jure antiquo, locationem rerum Ecclesiasticarum, factam ad longum tempus, fuisse prohibitam; nam attentâ Extravagante Ambrosiæ, de qua n. 1157, Res Ecclesie nec ultra triennium locari possunt; quo posito, quæstio 1. est, an procedat contra hanc Extravag. qui rem Ecclesie locat ad 6. 9. 15. annos cum clausula, ut tot sint locationes, quot triennia? 2. si fiat ad triennium, cum pacto in scripturam redacto, elapso triennio renovandi triennalem locationem? 3. si locatione factâ ad triennium facias denuo locationem ad aliud triennium ante lapsum anni primi triennii? 4. quando res fructificat non quolibet triennio? 5. an locatio irrita sit; non tantum quoad excessum ultra triennium, vel in totum?

Ad 1. Resp. talem locationem censeri validam à Baldo in c. 1. §. si libellario, quibus modis feudum amittatur, & in L. voluntas, C. de fideicommissis: sed contrarium tenendum est; quia est in manifestam fraudem legis; & probatur ex authent. de non alienando §. quod autem; ubi textus loquens de emphyteusi, quæ ad vitam accipientis, & diâs alias concedi poterat, dicitur, nullum esse pactum, quo concedens obligatur, sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere; quia hoc nihil aliud est (inquit textus) quam per revolutionem, & machinationem perpetuari eis emphyteuses, magis autem privationes Ecclesiarum agi rerum; sed in nostro casu idem à fortiori militat; cum per illam machinationem multiplicatæ locationes res Ecclesiastica ad longum tempus locetur. Sic Rosmer de Contract. §. de Clericis. q. 2. illat. 2. Ad 2. Resp. pariter, talem locationem, in scripto factam, non valere; quia in re est ultra triennium, & numerus trienniorum potius præsumitur in pallium locationis ultra triennium prohibita; sic Castropal. cit. p. 14. n. 3. aliud, si locatione factâ ad triennium, non fieret eodem simul actu locatio ad reliqua; sed tantum promissio, novæ rursus locationis faciendæ; nam locatio ad triennium cum promissione, triennio finito faciendi

na

novam locationem triennalem, non est locatio plurium trienniorum, ut rectè observat Azor p. 2. l. 6. q. 3.

1173 Ad 3. §. si, antequam elabatur secundus annus triennii, fiat rursus locatio ad aliud triennium, quamvis locatio secunda distincta sit à priori, in foro saltem externo præsumi fraudem, quæ committitur in legem; sic enim revera locatarius, seu conductor continuaret locationem ultra tempus jure permissum, quod non fieret, si secunda locatio contingeret finito primo triennio. Ad 4. §. probabilius dici locationem factam ad triennium, sic, ut, si intra hoc uno anno res locata non esset frugifera, tempus sterilitatis compensetur anno altero, non cadere sub illam prohibitionem, de non locando ultra triennium; sic Navarrus de alien. rer. Eccles. à n. 21. Covarr. p. 2. Variar. c. 16. n. 6. & alii. Nam Pontifex non videtur intendisse signare triennium temporis, sed fructuum; quia trina fructuum collectio est, quæ conductorem invitare poterat ad possessionem Ecclesiasticam locandam, ut sterilitas (si fortè contingeret) unius anni aliorum ubertate compensaretur.

1174 Ad 5. plures sunt, qui dicunt locationem solum esse irritam quoad excessum triennii, sic Barbof. p. 3. de potestate Episcopi, alleg. 95. n. 15. Rebelus de obligat. just. p. 2. l. 14. q. 6. Quaranta. v. Alienatio rerum Ecclesiasticar. n. 18. & alii. 1. quia in hac locatione imprimè potest separari tempus permissum triennii ab alio tempore prohibito. Nam esto, unica locatio materialis sit, & unicum pretium pro toto illo tempore exoptulatum; dividi tamen pro rata cuiuslibet triennii; at, quoties utile ab in utili separari potest, utile per inutile non vitiatur. ex reg. utile. de reg. juris in 6. & L. 1. §. sed sibi. ff. de V. obl. Deinde, quia alienatio facta ultra quingentos aureos, absque insinuatione, solum in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à jure, absque insinuatione alienari permissos, tamen si unica sit donatio, & per modum unius omnia donata fuerint, quod expressè habetur in L. sancimus. in princ. verf. si quid autem. C. de donatib. 3. quia emphyteu-

Tom. III.

sis, concessa ad quatuor, vel quinque generationes, valida est, quoad tertiam; invalida quoad reliquas, ut habetur auth. de non alienand. §. quod autem. collat. 2. ibi enim data emphyteusi alicui, ejusque duabus successionebus cum pacto, ut illis deficientibus tertius successor obtenturus sit emphyteusim, & omnibus aliis preferendus, deciditur dominium, emphyteusis obligatum non esse duobus hæredibus cessantibus cæteris tradere. Ergo tacitè declaravit traditionem emphyteusis primis hæredibus valere, extensionem tamen à lege improbatam, invalidam fore.

1175 Alii e contra dicunt, ejusmodi locationem ultra triennium non solum invalidam esse, quoad excessum, sed etiam quoad ipsum triennium; Sic Bartol. in auth. Qui rem. de SS. Eccles. n. 7. Covarr. p. 2. Variar. c. 16. n. 5. & alii, quorum fundamenta refert Castropal. cit. p. 14. n. 7. qui censet, ea non evincere plus, quam invaliditatem quoad excessum. Nam quando in auth. de non alienand. §. si vero in perpetuum, dicitur, quod emphyteuta cadat de emphyteusi, & quod datum est, maneat apud venerabilem domum, si emphyteusis detur ultra tres vitæ, tum si cadat solum denotat illum debere cadere de emphyteusi concessa pro tempore utili, & alias promisso ad triennium; cum non possit cadere de illo, quod nec habet; at, quoad excessum triennii, non habet; ergo non potest intelligi de excessu; ergo de triennio; quoad hoc valet. Sic exponi possunt etiam ea, quæ desumuntur ex Clement. 1. & Extravag. Ambrosiose.

1176 Cæterum videtur distinguendum; & dicendum, etiam vitari quoad triennium, & non tantum quoad excessum, quando locatio longiori tempore fit minori onere annuo locatarii, quam si pro breviori; communiter enim, qui locationem conducit pro diuturno tempore, minoris accipit; quam si pro breviori; Nam in tali casu triennium, & excessus inseparabilia sunt, quo fit non esse locum rationibus in contrarium adductis n. 1170. Ad 1. n. citato. Nego maj. in tali casu posse separari excessum à triennio; quia non eodem pretio reciperes loca-

Mtm 2 tie.

tionem ad breve tempus, quo ad diuturnum. Ad 2. R. dato antec. N. confeq. discrimen assignat Castropal. cit. n. 8. quia donans plus, quam sibi permittatur, voluntatem habet donandi, quod sibi permissum est; sed hoc instari potest etiam in locatione; nam & locans ultra triennium, locans plus, quam sibi permittatur, habet voluntatem locandi, quod sibi permissum est. Est tamen discrimen in eo, quia distincta locationes, singulae minori tempore, non haberent idem pretium à locatario solvendum, quam una etiam materialis ad tempus diuturnum; Ad 3. R. dato antec. N. confeq. nam emphyteusis ad tres, & ad plures generationes quoad excessum, ultra tres, separari possunt; non autem locatio quoad excessum triennii; cuius discrimen constat ex diminutione pretii, quando plures, quam tres anni conceduntur locatario; non autem in casu emphyteusis.

1177 Quæres 3. an inter alienationes, hic prohibitas, etiam veniat hypotheca? R. affirmative, de hypotheca speciali; non generali. Nam ex generali hypotheca non tam res, quam persona manet obligata. Hinc debitor, qui bona sua generaliter hypothecavit, non impeditur ab eorum alienatione; nec sic obligata Creditori subijciuntur; secus est in hypotheca speciali. Hinc etiam servus generali hypothecæ subiectus, non autem speciali manumitti potest, per L. 3. C. de se servo pignorat. Et ideo Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 2. censet, nomine alienationis prohibita venire etiam pignorationem; quia periculo exponitur in alium transferendi dominium pignoris, casu quo principali obligationi non satisfiat.

1178 Quæres 4. an nomine alienationis prohibita intelligatur translatio bonorum, vel reddituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam Ecclesiæ? Resp. affirmative, ex c. Ecclesiæ 43. 16. q. 1. ibi: Ecclesiæ antiquitus constituta, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita, ut novis oratoribus tribuantur. Et c. non licet 1. h. t. ibi: non licet Episcopo, vel Abbati terram unius Ecclesiæ vendere ad aliam, quamvis amba in ejus sint potestate: tamen, si commutare voluerit terras ca-

rum, cum consensu ambarum partium faciat. Sed nota hoc intelligi de translatione, quam faceret Episcopus suo solum arbitrato. Hinc cum utriusque partis consensu potest Ecclesiæ sibi subditarum bona commutare, ut dicitur cit. c. Non licet. Et si una Ecclesiæ abundet redditibus, & bonis; altera vero indigeat, licet Episcopo ex justa causa talem translationem facere. arg. c. 3. de Eccles. edific. junct. gl. in c. 1. h. t. V. ad altam. Requirit tamen consensus Capituli. arg. c. Tua. 8. de his, quæ sunt à Prælato; & Patroni, si Ecclesiæ sit Patronata.

Quæres 5. an nomine alienationis prohibita intelligatur hic unio perpetua unius Ecclesiæ cum alia, vel beneficii cum beneficio? Resp. affirmative ex c. Tua. 8. de his, quæ sunt à Prælat. c. Pastoralis. 7. de donat. Sic Rebyffius in praxi beneficior. ad 21. reg. Cancell. de unionib. gloss. 11. n. 2. Hoc intellige, si uniat sua mensa, vel Capitulo; non autem si cum consensu Capituli uniat alteri Ecclesiæ, vel loco pio, vocatis iis, quorum interest, & consentientibus. Clem. 2. h. t.

Not. autem 1. ad hanc unionem non requiri consensum Rectoris Ecclesiæ uniende; cum talis unio fiat sine ipsius præiudicio; quia unio non sortitur effectum, nisi post ejus mortem, vel legitimam amotionem c. Consultationib. 3. de donat. junct. gl. in cit. Clem. 2. V. vocatus. Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 171. Nota 2. ad eam unionem requiri consensum Patroni, saltent laici, c. Pastoralis 7. de donat. & consensum illius Prælati, seu superioris, cui Ecclesiæ unienda subiecta est; sic enim fit ei præiudicium in potestate providendi; sic Abbas in cit. Clem. 2. n. 5. Not. 3. illam unionem Ecclesiæ cum Ecclesiæ fieri posse per Episcopum, esto ei, postquam vacavit, non constituerit prius Curatorem, vel defensorem; Clem. 2. h. t.

Dices: Episcopus non potest aliquam partem, vel rem aliquam Ecclesiæ vacantis (v. g. partem decimarum) etiam cum consensu Capituli unire alteri Ecclesiæ, vel præbendæ, nisi prius Ecclesiæ vacanti constituitur Curator, vel defen-

fenfor, qui sit illi loco Rectoris, ut dici-
c. i. h. t. in 6. ergo nec Ecclesiam Ec-
clesia. Resp. conced. ant. N. conf. quia
per un onem partis redituum Ecclesia
vacantis sit prejudicium futuro illius Re-
ctori; non autem per unionem totius;
quia si tota uniatur alteri, non provi-
detur unita de distincto Rectore. Bar-
bos. in cit. Clem. 2. à n. 13. Sic habetur
c. Dudum. h. t. in 6.

1182 Quæres 6. an qualibet alienatio rei Ec-
clesiastica prohibita sit? R. quod non;
primò, quia res mobiles, quæ servando
servari non possunt, sine juris solennitate
licite alienari possunt, ut colligitur ex c.
Nulli h. t. Secundo, quia res immobiles,
seu possessiones Ecclesia minus utiles,
cum consensu Capituli pro melioribus
licite permutantur, vel alienantur sine
præscripta juris solennitate. c. s. h. t. quod
à fortiori procedit de rebus Ecclesia
damnosa.

1183 Quæres 7. an qualibet res Ecclesiasti-
ca, servata juris solennitate, licite alienari
possit? R. posse, exceptis casibus, quos
enumerat glossa in auth. Hoc jus porre-
ctum. C. de SS. Ecclef. V. Perpetuo, quæ
authentica canonizatur (hoc est in vim
canonis recipitur) c. Ea enim. §. hoc jus 10.
q. 2. & gl. in auth. de alienat. & emphyt.
c. 7. §. Ea verò. collat. 9. V. Concedimus.
Primus casus est, si res immobilis perve-
nit ad Ecclesiam ex Imperatoris donatio-
ne, vel fundatione, quo casu in ejus alie-
natione consensus ejus requiritur. per cit.
auth. hoc jus porrectum. Secundus, si alie-
nanda esset Ecclesia ipsa, vel monaste-
rium in usum profanum. auth. de alien. §.
& quoniam. Tertius, si Episcopus ex
propriis bonis, vel per se, vel per interposi-
tam personam, rem Ecclesia sua, vel sibi
subjectæ, emere vellet. auth. cit. §. Oeco-
nomus verò; 4. Si res eâ conditione Ec-
clesia data sit, ne alienetur, nisi urgeat ca-
sus magna, ac evidentis necessitatis. auth.
cit. §. Sanctissimus; 5. Si transferri de-
beat res Ecclesiastica in hæreticum, vel
Judæum. auth. de Ecclesiasticis titulis. §.
lubemus. collat. 91.

ARTICULUS VIII.

De solennitate requisita in alie- natione rerum Ecclesia- sticarum.

Hæc solennitas in duobus consistit, ni- 1184
mirum in *justa causa*, & *forma à sacris
canonibus præscripta*, & quidem *copulativè*,
ut unum sine altero non sufficiat. Barbos.
in c. i. h. t. n. 10. Forma porro requirit
1. ut alienationi præcedat *tractatus Ca-
pitularis*, c. sine exceptione. 12. q. 2. c. Du-
dum. 1. h. t. in 6. 2. Ut fiat *cum consensu
Capituli*, seu Collegii, quoad majorem
partem tunc præsentium, c. 1. de his, quæ
fiunt à Prælato. & cit. c. sine except. 3. ut
fiat *subscriptio à Capitulo*, seu conventu, c.
sine exceptione. 52. 10. q. 2. 4. Ut interve-
niat *authoritas*, seu *consensus Superioris*,
hoc est ejus, qui ex munere publico Eccle-
sia præest, v. g. Episcopi. juxta c. 1. de his,
quæ fiunt.

§. 1.

De justa causa alienationis.

Quatuor cause censentur *justa ratione* 1185
faciendi alienationem rei Ecclesia-
stica, aliàs sine juris forma prohibita a-
lienari. 1. necessitas; 2. evidens utili-
tas; 3. pietas; 4. incommoditas. Ubi
not. ex Molina tom. 2. de just. D. 468. con-
clus. 2. n. 1. dicente, quando adest *causa
necessaria*, dici esse casum concessum jure
ad alienandum. Necessitas est, ut si aliàs
debita Ecclesia solvi non possint. c. 2. 10.
q. 2. de quo supra, & c. 1. eadem causa, &
quæst. ibi: *Cassellas, vel mancipiola Ec-
clesia, Episcopi (sicut præsa Canonum præci-
pit auctoritas:) vel vasa ministerii quasi
comm. data fideli præposito, integro Ec-
clesia jure possideant, id est, neq. vendere, neq.
per quoscunq. contractus res, unde pauperes
vivunt, alienare præsumant.* ubi gloss. addit
in sequenti Palea ibi: *Hujusmodi, excipi ca-
sum necessitatis, & constat etiam ex n.
præced. Vel si alia via damnis Ecclesia
subveniri non possit. c. 1. h. t. in 6. ubi alie-
natio sine tractatu prævio, & justa causa
facta reprobatur, ibi: Quia verò in concef-
sione hujusmodi prædicta Ecclesia (cum va-
caret)*